Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Corpus a Longobardis Tridentum translatum est circa annum 759; inde a Thassilone Bojorum Duce Passaviu anno 769. Ibi in Ecclesia cathedrali S. Stephani Protom. quievit, donec circa annum 1120 elevatum, anno vero 1285 longe honorificentius in medio Ecclesiæ Passaviensis collocatum est: ubi suis locis referetur. Restare autem quædam saltem parvas ejusdem Sancti Reliquias in Tirolo nostra, suadent quam plurima Ecclesiæ ejusdem honori consecrata.

Recenset eas cl. Reschius Annal. Sab. Sec. V. S. 27; et quidem in diœcesi Curiensi in vico Prigiano fœderis Grisei, de qua supra Rogerium Curiensem: in pago Oenotrio Nanders: in loco Aaid ad S. Valentinum dicto: in valle Monasteriensi et loco Ravair: in Camina sive Cains. In diœcesi Tridentina supra Toblinum in villa Verrano, ubi teste Tartarotto datur inscriptio: /in Mem. Roboret.

DCCXX. die IV. Aprilis
Hic sepulta sunt certa ossa
B. Valentini.

in Gentersberg Vallis Sorena: Nobellu Nobels: in Schlaneid, parochiæ Mœltensis: in pago Andriano (Patronus primar. præcipuus hujus Ecclesiæ est S. Vitalianus, an secundarius, ut vocant, S. Valentinus sit, nescio): Appiani vulgo Eppan, in æde ad S. Valentinum dicta, ubi hi versus:

Für hinfallen, frais, und frucht
Ist er allzeit zu helffen gricht.

in Anaunia in oppido Cles, in pago Salter, et in pago Sarmonia, ~~et in villa Salter~~ sunt Ecclesiæ S. Valentino M. dicatæ; in quibus tamen dantur altaria S. Valentino Episcopo epilepsiæ Patrono dedicata.

In diœcesi Salisburgensi in Carinthia infra Draburg est sacellum S. Valentino contra luem et morbum caducum Patrono, consecrata.

In diœcesi Frisingensi in Altenhausen prope Frisingam: in Krainacker ab Aribone consecrata (Meichelbeck Hist. Fris. Instr. 17.) VI Cal. Maj. an. 767.

In diœcesi Passaviensi in Haselbach supra urbem Braunau S. Valentinus miraculis clarus colitur, Aquidem die VII Januarii.

In diœcesi Feltriensi in Burgen, et aliis locis pluribus.

In diœcesi Brixiensi in Rontsol: in Pinzagen: in Verdings: in Vlnes: in Castelrutt: in Gummer: ~~et~~ in parochia Stiffens: spectabilis est in colle Vall-Genaun (ubi veterum Genaunorum reliquiæ) Ecclesia S. Valentino Epileptiorum /in Utt.